

† R. P. Patritius Griffith.

(Prov. Hibern.).

Die 17 mensis septembris a. 1926 in collegio nostro Clonardensi (*Belfast*) fidelis vocationi suae pie in Domino defunctus est R. P. Patritius Griffith, longitudine dierum praeter communem hominum modum plenus.



Qualis eius vita strenuis laboribus repleta fuerit, iam munera ipsa ostendunt, quae in Congregatione obivit.

Natus est in urbe Mountmellick Hiberniae die 20 mensis decembris a. 1844. Sacerdotio auctus in seminario Manutiano (*Maynooth*) die 6 mensis martii a. 1870 in clero saeculari dioecesis Kildarensis mansit usque ad annum 1881. Congregationi nostrae deinde nomine dato die 1 mensis novembris a. 1882 in Bishop Eton vota religiosa fecit. Ab anno 1885 ad 1887 Limerici sodalicio S. Familiae praefuit. Novicios Anglos Hibernosque ab anno 1890 ad 1894 spiritu Congregationis instituit et ultimo anno (1893-1894) collegio simul in Bishop Eton Rector praefuit, quo munere deinde ab anno 1894 ad 1896 Limericensem domum rexit. Anno 1896 in urbem Belfast missus primus Superior ac deinde usque ad annum 1904 Rector fuit novae domus Clonardensis. Anno 1904 iterum magister noviciorum in provincia Hibernica creatus est eisque usque ad capitulum generale anni 1909 praefuit, quo finito R̄mi P. Generalis in munere Superioris provinciae successor dictus est.

Piis et honestis parentibus ortus et a puero fide ac pietate ab optima matre educatus, cuius memoria filio semper carissima fuit, initis litterarum apud Fratres Patricianos et in seminario dioecesano factis magno seminario Manutiano ascriptus est anno 1863, ubi ingenio et studii assiduitate inter aequales praestabat.

Sacerdos factus in quattuor parochiis coadiutor laboravit numquam in laboribus pro animarum salute susceptis sibi parcens simulque tenerrimae pietatis erga Deum et proximum exemplum se praebens. Deiparae Virginis cultor devotissimus rosarium eius cotidie recitavit omnibusque commendavit recitandum. Saepe deinde, cum in Congregationem ingressus esset, hanc devotionem vocationis suae religiosae causam fuisse dixit.

Cum in domo studentatus nostri in Teignmouth exercitiis spiritualibus vacaret, primum in eo desiderium ortum est Congregationi se adiungendi. Nec diu moratus Dei lumine fervidis precibus impetrato et consilio cum confessario P. Magnier inito veniam ab episcopo suo petiti et accepit Dei se vocantis vocem sequendi. Noviciatu peracto, cum festo Omnia Sanctorum a. 1882 votis religiosis se obstrinxisset, noviciorum primum magistri

socius dictus est, deinde autem S. Familiam Limerici institutam regere iussus satis superque invenit laborum. Sed cum neque studium salutis animalium neque mentis corporisque vires deessent, semper gratissimam huius muneris recordationem servavit ob fidem pietatemque egregiam sodalium Sanctae Familiae sibi et ecclesiae tantopere probatam.

Quantopere Congregationem amaret quantique eam aestimaret, in officio magistri noviciorum obeundo fidelissima de iuvenibus sibi creditis cura egregie commendavit. Quidquid vero docuit, id tirones in magistri virtutum exemplis melius etiam quam ex eius monitis et doctrinis discere potuerunt.

Primo die mensis novembris anni 1896 opus suscepit, quo vix aliud maioris erat momenti. Cum enim in urbe Belfast episcopus Dunensis et Conoriensis domum et ecclesiam Congregationis SS. Redemptoris habere vellet, quae populo fidissimo subveniret, cuius fidem civium acatholicorum persecutiones iam diu laceressendo augebant potius quam imminuebant, P. Griffith ad hoc perficiendum opus designatus est. Anno 1897 ecclesiam exstruxerat, anno autem 1900 domus pulcherrima et amplissima perfecta erat. Mox ecclesia non solum in regione, quae Clonard dicitur, sed in tota urbe Belfastensi fons salutis et sanctitatis facta est, quo fideles ad animas verbo Dei sacramentorumque gratia reficiendas confluere coeperrunt. Sed ad haec beneficia consequenda quantos corporis animique labores P. Griffith pertulerit, quanta fide atque constantia omnia tandem impedimenta vicerit, Deus solus scit, pro quo laboravit. Cum anno 1904 collegium a se fundatum relinqueret, omnem pecuniam pro operibus debitam solverat et omnia in tuto posita successori tradidit, ita ut opus apostolicum sine impedimento fervore posset. Nec spes concepta fefellit. Anno enim 1925 circiter 300.000 sacrarum mensae eucharisticae particularum in ecclesia nostra Clonardensi SS. Redemptoris distributa sunt, sodalium vero Sacrae Familiae et sodalicii Matris de perpetuo succursu et S. Alphonsi a P. Griffith institutorum numerus ad 10.400 crevit.

Quamquam paene semper superioris munere oneratus erat, tamen ita labore apostolico deditus fuit, ut fere quadringentis missionibus exercitiisque spiritualibus interesset, in quibus contionibus numerosis ac ferventibus populum maxime commovebat. In sacro tribunali assiduus multas animas tam peccatorum quam piorum ad salutis et sanctitatis viam capessendam duxit.

Fratribus semper amabilis et caritatis tam amans fuit, ut ne amici quidem, qui familiarissime eo utebantur, vel verbum aliquod recordarentur ab eo prolatum, quo fama cuiusvis sodalis vel leviter laederetur. Suavissime divina providentia disposuit, ut in collegio Clonardensi inter tot laborum suorum monumenta ad vitae aeternae coronam discederet. Initio mensis augusti a. 1926 P. Provincialis visitationis canonicae causa in col-

legium Clonardense venit. Iam tum omnibus manifestum erat vires Patris Griffith in dies magis debilitari. Numquam tamen aut ab actibus communibus abesse, aut aliquid praeter victimum omnibus communem accipere voluit. Tandem viribus subito deficientibus in cella sua in terram corruit, sicque a fratre invento statim sacra morientium sacramenta administrata sunt. Quae postquam cum magna devotione suscepit, divina voluntate perfectissime contentus quindecim dies in pace caelesti moribundus transegit. Cotidie sanctum sacrificium in cubiculo suo celebratum pie audivit et Panem fortium usque ad ultimam ante mortem feriam quartam cotidie accepit. Sacerdos et frater, qui omni nocte ei aderant, semper fere SS. Iesu et Mariae nomina invocantem et Dei voluntati se commendantem ac totum repetitis actibus subcientem audire potuerunt. Feria sexta, die 17 mensis septembris, ob imminens mortis periculum sacro in cella multo mane facto, qua hora missae publicae in ecclesia nostra incipere solent, sine consueta mortis collectatione placidissime animam Deo reddidit. Corpus a sodalibus in crypta sub altari maiore ecclesiae ab ipso fundatae collocatum resurrectionem exspectat. Funeris caeremoniae episcopi praesentia honorate sunt. Sacerdotes saeculares et religiosi quoque pompam funebrem secuti sunt cum populi memoris beneficiorum frequentia. Dolor autem luctusque omnium tantus in urbe Belfast vix umquam visus est. R. i. p.!